


tus est, erit proportio DE ad EH nota. Angulus uero BEG propter arcum EG est notus, quare residuus angulus EBH cognitus, & ideo proportio BE ad EH nota, unde BE linea respectu DE nota fiet. Item quia angulus ADG notus est per considerationes, erit etiam angulus ADE scitus, & ideo linea DE ad EF proportio manifesta. Angulus autem AEG, notus est propter arcum AG notum, quare cum prius angulus ADE sit notus, relinquetur angulus DAE cognitus. Et ideo proportio AE ad EF inuenta, quare si EF linea posuerimus, ueniet AE respectu DE nota, cuius quidem respectu etiam nota fuit linea BE, unde BE & AE inter se notae erunt. Est autem angulus AEB propter arcum AB notus, & angulus AT rectus, quare utraque linearum AT & ET respectu AE nota erit, dempta igitur ET ex BE nota, manebit BT cognita, propter quam & lineam AT, nota erit linea AB respectu duarum linearum AE & BE. Ipsa autem linea AB nota est respectu diametri circuli ABG, cum arcus AB numeratus sit, igitur & linea AE respectu eiusdem diametri fiet nota, unde arcus AE cognitus habebitur, & consequenter totus arcus EA BG, qui si semiperiferia fuerit, eccentrici centrum in sua chorda erit. Si uero minor, centrum erit extra. Si maior, intra. Erit autem chorda GE nota, scilicet, & pars eius DE, nota erit ad diametrum circuli, cum ipsa prius nota fuerit respectu AB. Hac præambula dicendis accommodabuntur.

Distantiam epicycli ab auge eccentrici in unquam trium habitudinem cum eccentricitate proprie uerum elaborare. Proposito II.

**S**It eccentricus motus æquans motum Iouis ABG, in quo ducatur chorda EG, sitque in ea punctus D centrum mundi, & extra portionem EBG signetur centrum huius círculi in punto K, ducta diametro eius per centrum mundi, transeunte LK DM, sitque L punctus aux, & M oppositum augis eccentrici, & à centro K ducatur perpendicularis KF ad lineam EG, quæ continuetur in s punctum circumferentiae. Ducantur præterea duas lineas DA & DB, pro duabus habitudinibus reliquis.



Cum igitur duas lineas DG & DE notae sint, ex præmissa respectu semidiametri eccentrici, erit quod fit ex earum altera in alteram notum, & ipsum est æquum ei quod fit ex DM in DL, quare illud notum, quo dempto ex quadrato semidiametri KM manebit quadratum lineas KD notum, unde & ipsa linea nota, quæ quidem est eccentricitas quesita. ¶ Præterea FD linea nota fit, S 2 cum sit